



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu
peragi possint

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Altare quasi alta Ara.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54780)

non sunt virtutes, sed virtutum insignia, quibus tanquam Scripturis utentes admonentur, quid debeant appetere, quid vitare, & ad quem sua facta dirigere. Et hinc Innoc. III. benè monet: *Provideat ergo diligenter Episcopus* (quia plura hujus indumenta majoris quoque in eo requisitæ perfectionis sunt signa) *& attendat Sacerdos studiosè, ut signum sine significato non ferat, ut vestem sine virtute non portet, nè fortè sit similis sepulchro de foris dealbato, intus autem omnia plena spurcitie. Quisquis autem sacris indumentis ornatur, & honestis moribus non induitur, quantò venerabilior apparet hominibus, tantò indignior redditur apud Deum. Pontificalem itaque gloriam jam honor non commendat vestium, sed splendor animarum.*

ORATIO SECUNDA.

Explicans requisita ad Sacrificium.

Altare quasi alta Ara.

Requisita ad tremendum hoc Sacrificium dum percurro, eorum simul significacionem in ordine ad congruos eliciendos affectus mente volvam. Atque cum primis Altare designabit mihi mensam Domine, in qua ultimam habuisti Cœnam, Item Calvarix montem, in quo cœuentum peregisti Sacrificium. Demum ob conjunctos cœmento lapides Ecclesiam tuam in unum coadunatam.

Sacer-

Sacerdos, Ministri, Mappa, Crucifixi Imago.

Sacerdos te, Minister populum fidelem menti
Objiciet. Mappæ Altaris tres ingerent ani-
mo linteamina, quibus sacrum corpus tuum
involutum fuit in sepulchro. Crucifixi imago
refricabit crucifixionis tuæ, & trophæi per cru-
cem à te reportari memoriam.

Pulvinar, Missale.

Pulvinar significabit cor devotum, in quo tu
Domine & sancta doctrina tua requiescit,
Missale indicabit librum, quem tu Agne Dei
scriptum intus & foris aperuisse narraris Apoc.
5. scilicet librum vitæ & prædestinatorum.
Qui celo ocluso aperiri non poterat nisi
per mortem tuam. Et quia ibid. dicitur,
quod Agnus librum aperuit, & apparuit leo,
recordabor diei illius tremendi, in quo sicut
Agnus beatis, ita ut leo apparebis reprobis.
*Dum liber scriptus proferetur, in quo totum con-
suetur, unde mundus judicetur.*

Luminaria.

Luminaria, quæ adhibenda sunt saltem duo
(præterquam quòd duos Evangelii prodro-
mos significant legem & Prophetas) docebunt
per te mi Christe Judæos & Gentiles illumina-
tos esse, teque venisse in hunc mundum, ut
eum non tantum illumines, sed & sacro amore
accendas juxta illud: *Ignem veni mittere in ter-
ram, & quid volo, nisi ut accendatur.*